

*Insertionem duplicem.* Alia est inferiorum vasorum, superiorum alia. Distinguimus hæc, experientiam sequuti.

Latè enim disseminantur, & truncum cum artubus suo ambitu involvunt. Vasa aquosa intra septum medium enata inferuntur in receptaculum chyli, seu glandulas novas chyli, quo tanquam in alveum limpidam suam lympham effundunt, ut porrò recto ad cor tramite per thoracicas lacteas deducatur. Quæ verò supra diaphragma ex artubus trahunt originem, in jugularem externam, sive axillaris concursum ingrediuntur. Unde truncum nullum habent, sed ex partibus diversis hinc inde veluti rivuli salientesque fontes separatis originibus ad fluvios duos tendunt, glandulam nempe mediam, lacteam, & axillarem venam, ut in communem cordis oceanum pleno gurgite exundent.

*Substantiam,* quæ est tenuissima pellucida pellicula, instar telæ araneæ subtilis, ut levissimo vulnere, & tactu rumpatur. Hinc est, quod effusâ limpidâ aquâ statim dispareant, quia applicantur membranulæ illius venis subjectis, ut discerni nequeant etiam à Lynceo. Non memini tenuiorem in corpore partem, si piam in cerebrô matrem excipias, quam æmula substantia refert.

*Colorem,* qui est hydatidum crysalli instar resplendens, quam diu liquore suo repleta sunt. Inanita non videntur. Lactæ evacuatae fibrillas visu conspicuas relinquunt, nostræ cum liquore in auras videntur evanescere, ut præter venas sanguifluas nihil compareat. Quæ causa est, quod hæc tenus in cadaveribus observata à nemine fuerint.

*Figuram:* interna cava est venarum aliarum more; externa variat. Maxima pars annulari formâ venas ambiunt, hederæque instar amplectuntur, per tenuissima filamenta illis alligata, & connexa. Quædam rectâ prope hepar & in axillaribus expriment egregiè fluminum anfractuosos alveos, quibus per apertos campos sinuosô tramite currunt errantque.

*Valvulam,* quæ tenerrimæ texturæ ingressui in axillarem supra præponitur, & regressuræ aquæ obstat. Eaque sola obser-

observat.